



**F**Ridericus Burger iuxta Hercyniam syluam in  
 Brisgaudia honestis parentibus natus, & pie e-  
 ducatus fuit. Cum autem is felici ingenio præditus  
 esset, sese Friburgum cōtulit, atq; artium & lingua  
 rū fundamenta egregiè didicit. Postea uerò ad mo-  
 nasterium nobile Schutteren peruenit, & ut cōmo-  
 dius libris incumbere posset, Benedictinorum or-  
 dinem suscepit. In eo loco cum per aliquot annos  
 summa animi moderatione uixisset, atq; quidā ab-  
 bates ob certas causas officio celsissent, hic Frideri-  
 cus præter expectationem eius cœnobij Abbas e-  
 lectus est, anno 1562. Hanc uocationem Fridericus  
 modestè suscepit, & ob multas animi uirtutes cun-  
 ctis fratribus gratissimus extitit. In primis uerò literarum studia amat, atq; eas  
 promouere desiderat. pauperum quoq; patrociniū placido animo suscipit,  
 atq; rara humanitate erga cunctos utitur. Hinc etiam factum, cum mense Au-  
 gusto anno 1565 ad eum locum, antiquitatum inuestigandarum gratia perue-  
 nissem, ut me summa animi beneuolentia suscepit, & ueterum monumenta  
 ex Archiuis communicarit. In eo loco is etiamnū superest, & ab omnibus finit-  
 imis ob uirtutes agnoscitur & amatur. Anon.